

quadam senatui facie turpitudinis id vel maxime faciendum esse persuadeat, quod sit congruens honestati.

Frgm.
VIII Cum ille rex sit interfectus, hunc puerum in Syria fuisse.

... haec sumuntur de locis coniecturalibus, qui sunt 5
primi videlicet in huius status divisione, a voluntate
et facultate Nam quod pueritiae facit mentionem,
voluntatis est non potuisse Ptolomaeum kapitalibus odiis
dissidere, quem puerilis infirmitas ab huiusmodi obstinatione
recovaret; facultatis est autem, quod ait in Syria fuisse, 10
ut absens copiam non habuerit illius interficiendi, quem
dicebatur interemisse.

Frgm.
IX Atque illud etiam constare video: regem
illum, cum reginam sororem suam, caram ac-
ceptamque populo, manibus suis trucidasset, 15
interfectum esse impetu multitudinis.

Congestis valde praeparationibus fidem fecit ..., ut
hanc caedem a populo magis Alexandrino factam probaret,
non Ptolemaeo iubente commissam. Notemus enim grada-
tim fieri augmenta, quae praegravent suspicionem ad 20
populares impetus pertinentem. Nam coepit ad hunc
modum: *Atque illud etiam constare video*, ut de veritate
non sit ambigendum, si constet apud omnes. Dein sub-
didit: *cum reginam sororem suam*, ut atrocitas parricidii
et multo maior in exitio reginae omnibus fuerit horrore. 25
Post haec adiecit eandem *caram* ...

(Desunt L paginae.)

